



AB

37 $\frac{6}{i,4}$

~~10 1/2~~ 1000



De 2
9


Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is mostly obscured by the paper's texture and discoloration.



HISTORIA
JUDITHÆ,
HEROINÆ NUN-
QUAM SATIS LAU-
datæ, Heroico carminis genere,
quàm brevissimè, reddita

à
FRIDERICO JANO
Arælavienſi Hermunduro, Ec-
cleſiæ Oſchmerslebenſis
Paſtore.

ANNO
reparate ſalutis:
Hoſtis faClat MIHI qVID fer
CVrator eſt DeVs MeVs.


MAGDÆBURGI,

Typis Andreæ Bezelij, ANNO M. DC. XV.

DEDICATIO

Ad

*Illustrissimum Principem ac Dominum
Dominum.*

AUGUSTUM,

Principem in Anhalt, Comitem
Ascaniæ, Dominum Sersvstæ & Bernburgi &c. Dominum suum Clementissimum.

Judithæ Historiã, tenui quã carmine scripsi,
~~Sonnestæ~~ Princeps Ascaniæq; COMES,
Accipiat placidè de me Clementia vestra,
Vestraq; me foveat Gratia Amorq;, precor.
Causa fuit scriptæ: quia passim bella movētur,
Quæ sacra non dubitant tollere verba Dei.
Finis: ut assidue quivis sua vota precesq;
Fundat, & expectet quã relevemur ope. [nū:
Sat scio, quod carmen non tanto Principe dig-
Est tamen ex fido cordis amore datum.
Sufficit, id quando capit illustrissimus Heros;
Et Deus, ut verè sint rata vota, facit.

Celsitudinis vestre

Subiectissimus

FRIDERICUS JANUS. P. E. O.

ANNAL
TI

VOTUM PRO PRINCIPIBUS
ANHALDINIS CLEMENTISSIMIS

fuis Dominis, ad DEUM æternum Domi-
natorem directum.

Imp: Max. I. de Rod. Princ. Anhalt.
Sit foelix annus RUTÆ, sit faustus &
(URSO
Hic novus: & reliquum JHOVA
[gubernet opus.
FIDUS ANHALDINUS SAN-
[GLIUS florescat, & annos
Nestoreos videat; secula sospes agat.
Floreat AUGUSTUS, noster vivatq; Dy-
(nastes;
Augeat hunc donis, Ipse bonisq; Deus.

Fridericus Janus

P. E. O.



HISTORIA JUDITHÆ.



*U*lle Nebucadnezar Magnus crude-
(lia bella
Ediderit, celebres quas expugnârit
(& urbes:
Et cujus collum dux belli amiserit astu, (tro,
Nunc canere incipiam: Tu carmen Apolline dex-
Fingere da soboles æterni chara Parentis.

*Est regio prestans armis atq̃, ubere glebæ,
Nomē ab Assur habens, ubi Rex sibi mania magnū
Struxit, quæ quivis hoc incola nomine dicit
NINIVE, ni fallant veterum monumenta vi-
(rorum.*

*Huic fortuna frequens favit, cum sumere
Adversus gentes tentabat, ut angeret illas, (tela
Et labefactaret bello, belliq̃, timore,
Fortia quò sub Sceptra darent sese ocyus ejus,
Ac illum solum Regemq̃, Deumq̃, vocarent. (do,*

*Et postquam semper pugnaret Marte secun-
Cornua sumebat, stimulabat & invida pectus
Ambitio, propriasq̃, domos in corde struebant,
Fastus & ipse tumor, nec non elatio vana.*

Ad multos igitur populos mittebat, eundem
Pro Jove quò colerent, facerent sancitaq; jura:
Quod gens eterno renuebat dedita JHOVÆ.

Ergò percussus calidà Rex Magnus ab irâ,
Testatur regnum, regni nitidumq; tribunal,
Hanc ignominiam se non sic linquere in ultam
Velle, sed extemplò meritas exposcere pœnas.

Idcirco cum tempus erat bellare, vocabat
Primates regni, vindictâ tale jubente,
Et consultabat, nec non capiebat ab illis
Consilium, ut sciret, quenam via prima salutis.

Hoc placuit ceptum cunctis, laudataq; vir-
(tus
Crevit in hoc Magno, Et nutrit gloria calcar.

Holfernem quare Rex ista voce lacescit:
Disijce tranquillam pacem, sere crimina belli,
Arma para, populos funestâ clade fatiga,
Quos habet occasus, quibus haud mea jussa fuere
Cura; rumpe moras, extirpa funditus omnes;
Carpe viam, quâ sternis eos non agmine parvo.
Parcito non ulli, munita atq; oppida vallis
Expugna, solum quo me dignentur honore.

Man

Mandato paret, Primates convocat atq;
Holfernus regni cupidus, lethalia tela
Sumere præcipiens, cogebat & agmina magna,
Atq; camelorum cætu comitatus abibat
Miles, & ad bellum præsens erat apta supellex.

Præterea Syrie populi frumenta legebant,
Regis & ex Gazâ fulgentis pondera secum
Auri sumebant, regiones atq; petebant,
Constiterant Martis quas depopularier arte.

Sic fervebat opus, sic procedebat & ejus
Currus, cum valido & complebant milite terram;
Non secus, ac quando modulantes voce locustæ
Ingratâ veniunt, ledentes singula terræ.

Assyriæ postquam terræ peragrasset ad arva
Exemplò montana gravis veniebat ad Ange,
Ac expugnabat munitas mœnibus urbes,
Et populabatur Melothi, haud ultima fama
Quam decet, in Tharsis populos spoliabat &
(omnes.

Captivos Midian natos ducebat, opesq;
Ad sese illorum rapiebat acinace, tollens
Morte resistentes; nulli parcebat honori.

Postea

Postea cum turmis tendebat ad arva Da-
Cum jã messis erat, maturis dives aristis, (masci.
Et foetus terra cereales igne cremabat,
Ac incidebat salices cum palmite leto.

Talibus auditis factis immanibus Hostis,
Continuò subitã gelidus formidine sanguis
Diriguit, cecidère animi, nec jam amplius armis,
Sed votis, precibusq; jubent exposcere pacem.

Idcirco Syria Primates agmine longo
Holfernem accedunt; orant, ut mitiget iram;
Est etenim satius Regi se subdere, dicunt,
Objectare caput, quam tot tantisq; periclis,
Et tandem seve discrimina mortis obire.

Dicebant etiam, tua sint, quaecunq; tenemus,
Immò nos etiam; Servi servaq; ministrent;
Parcito subjectis; Et debellato superbos,
Ad nos te confer, te nobis atq; benignum
Præbe, pro lubitu Dux inclute Et utere nobis.

Sic cum militibus, rapidis cum curribus atq;
Holfernes præstans famã, Et felicibus armis,
Ædes, ut victor, subito linquebat Et arva.

Interea verò reliquas tendebat ad urbes
Flore virum felices, expugnabat Et illas,

Nec

Nec non Heroes ex omni parte legebat,
Intrepidū lituos qui stabant inter & arma.

Percepto tali, populi tremor occupat artus,
Rumore hoc motus, palmam concedit & omnis.
Omnibus ex domibus captabat barbita secum,
Quilibet, insuetis venientem plausibus atq;
Excipere ardebat, perfusaq; corda favore
Astabant, Regi non fata precantia dura:

Quem tamen hostis atrox flocci pendebat honor ē.
Nam devastabat præcinctas manibus Urbes,
Illorum lucos sevens populabat & omnes:
Injussis etenim, ut cunctos deleret, habebat,
Quò solū Magnū, Dominumq; Deumq; vocarent.

Cum genus Isacidum, degens in climate Jude,
Talia perciperet; mentes metus acer agebat,
Atq; tremiscebant, nimiam formidine corda.
Namq; verebatur, ne vim exerceret in illud,
Antea perdiderat reliquos velut, atq; verendū
Delubrum in nimiam vastaret funditus irā.

Idcirco solidis munibant oppida muris,
Ad præsens bellum nec non frumenta legebant.
Presbyter illorum, Jozakim nomine mandat,
Ut fines omnes, per quos penetrare daretur
Commoditas illi, fido custode reservent. B Iā-

Isacides dicto parent, pia vota precesq;
Fundunt, spectantes divini Numinis horam,
Pendere deberent hostes quã sanguine pœnas.
Admonet interea Iojakim talibus illos:
Este viri; vobis & persuadete, JEHOVA,
Vota precesq; suum, faciet quod, pondus habere.
Vos modo casta Deo semper date carmina, namq;
Non orasse semel, satis est, juvat usq; morari.
Amramides Amalek veluti non Marte fugabat,
Sed casto gemitu, castis precibusq; necabat
Hostem. Sic vos ardentia fundite vota.
Ille Deus potis est fidum defendere cœtum,
Antea qui vario pressit discrimine squamas
Demonis, & nœtos fumo mandavit honores.
Dispereant, abeant, lethœaq; pocula gustent,
Qui vos perturbant, vos & cum pignore ledunt.
Vos modo patratos deflete ex pectore nœvos,
Et vite rimamini iter melioris ad usum. (res,
Holfernus fama hæc post quã peruenit ad au-
Quod Genus Isacidum contra illum sumeret ar-
Et quot compleret montanas milite cautes; (ma:
Irarum se vos voluit sub pectore fluctus,
Et Moabitarum Primates accit & inquit.

Scire

Scire a vobis, idcirco vestris exponite linguis,
Quæ Gens hic habitat; quas Vrbes mœnibus illa
Munitas teneat; quantis & polleat arcâ
Divitiis; & quo sint diribitore parati?

Achior Holfernem post hæc affatur amicè
Dux Ammoniadum constanti pectore dicens:
Inclute Dux si vis, & si licet ista referre,
Quæ Gens hic habitat; paucis adverte docebo.
Hæc ex Chaldaea Gens venit, traxit & ortum,
Et Mesopotamiae primùm consedit in oris.
Namq; Deos varios gentili more colebant
Majores; igitur cum Diis damnabat ad orcum
Fallaces cultus, falsa & simulachra Deorum,
Infracto concurs fugiebat pectore, IHOVÆ
Vt soli, qui claustra poli decoraverat astris
Serviret; pro quâ Genti pietate resolvit
Præmia, felici ut degat, dum mandat, in Haran.

(Esto pius, quicumq; cupis traducere vitam
Felicem; Pietas dat victum, præbet amictum.
Excludit cum te tua patria; patria restat
In Coelis; ibi nos Patri jungemur amantes.
Si te Cognatus damnat; non damnat JHESUS,
Qui frater factus, tibi donat & atria Coeli.)

B 2

Et

Et postquam gravitas annonæ cresceret, illa
Ægypti sese pede turba recepit in oras,
In quibus illius generi pia fata favebant,
Semen, ut à nullo poterit numerarier, ejus.

Ast ubi Rex ora multis onerabat eandem
Nisibus, attentas fundebat ad æthera voces;
Atq; fatigabat votis precibusq; JEHOVAM,
Viribus ut majus notis imponeret illi
Non opus, in nimiâ nec eam perverteret irâ.

Audijt extemplò, quæ turba precamina fun-
Et punit varijs morbis, varijsq; periclis (dit,
Regem cum populo; qui dimittebat eandem.
Namq; sibi persuadebat, Gens causa quod esset
Pœnarum, missi subitò discriminis atq;
Sed cum deficeret pœna hæc, sententia corde
Bullijt, expulsam ut caperet, serviret ut illi.
Et quoniam Pharaonem temnit pœnasq; minasq;
Apparet tandem Deus. Et maris agmina rubri,
Dividit undarum, quæ stant ceu mœnia celsa,
Ut tangat Pclagi pedibus fundamina siccis,
Permeet ac illud nullo prohibente, supremo,
Gens magno cœtu, JHOVÆ servire parata.

At cum bile gravi, Pharij gens accola Nili,
Insectaretur magnâ stipante catervâ Illam;

Illam; cum curru rapido, cum militè nec non
Rex perijt, fluidà ponti consumtus ab undà;
In vivis ab eis, nec erat, qui tale referret.

[Sic humana, Deus maturat, quando laba-
Auxiliū, educitq³ suos cum pignore charo, (scunt,
Et rapit à curis, sevis atq³ hostibus abdit.

Quisquis es, ergò DEO te crede & fide potenti;
Flumina stare jubet, ne te malus opprimat hostis,
In dextrâq³ suâ te protegit Ipse notatum.

Si mare pertransis, tecum est: te, forte nocere
Si tibi Vulcanus conatur, servat in igne.]

Et mare per rubrum transisset libera postquã,
Ad celsum Sinai montem capiebat eremum,
In quã mortales poterant haud degere tutò.

In dulcem latices ibi mutabantur amari

Lympham, per spacium lustrorū atq³ oëto cadebat
De celo nutrimentum, quod Man vocitabant.

Et quoties faciebat iter mucrone relicto,

Arcubus & fundis, galeis, rapidisq³ sagittis,

Defendebat eam Numen, sternebat & hostem.:

Ac hominum nulli poterant hanc demere gentē,

Quã si multiplici lesisset crimine JHOVAM.

Nam quoties extra verum Regemq³ DEU Mq³

B 3

Hac

Hæc alium forsàn Gens afficiebat honore.
Perturbabatur, pœnas dabat atq̃ cruentas.
Sed resipiscebat quando, contagia culpa
Commisse plangens, Coeli terraq̃ Monarcha,
Ferret ut antennas ejus, dabat, aura secunda.
Quapropter magnos, Mavortis & arte potentes
Reges delebat radicitus, atq̃ superbis
Spectatas tectis Vrbes vastabat eorum.
Et jam propitio Solymorum degit in Vrbe
Numine, ni fallor, pax illis optima res est.

Idcirco summâ mihi Dux pietate colende,
Explorare jube, num quid commiserit illa.
Quando rea est culpa cujusdam, tela, dolones,
Enses, arma, tubæ, fundæ, gladiiq̃ globiq̃
Illam sponte petant, Gentis Deus illius atq̃
Annuet inceptis nostris, victoria cedit
Nobis, absq̃ morâ & dabit, ut Gens pareat ultrò.
Expers commissi si verò criminis illa est,
Nos nihil efficimus: Deus est Dux namq̃ supremus
Illius, & quicquid, depellit, obesse videtur. (Innes

Hæc postquam dederat verba Achior, ocyus o-
Primates Ducis Holfernis stomachantur in illū,
E medio nec non conantur tollere Vatem,

Dicen-

Dicentes: quis is est, audet qui farier illud,
Horrida deberent quòd contra sumere tela
Isacides Magnum, Regi^q resistere tanto?
Non pugnare sciunt, non polleat Martis \mathcal{E} arte,
Non sunt proventu, non auri pondere fulvi
Instructi, bello nec eis sunt fortia corda.
Sed tamen ut videat, quòd sit mentitus ineptus
Achior, illorum fines curru^q viro^q
Invademus: eos \mathcal{E} quando subegimus omnes,
Funere subtristi mergantur, \mathcal{E} Achior unà;
Ut sciat omnis homo, quòd non Deus alter ubiq^q
Hic nisi sit Magnus, cedat cui cuncta potestas.
Fluctuat irarum Dux astu, percitus œstro,
Achio rem subito dirà compellat \mathcal{E} irà:
Talia cur audes incautus promere verba,
Quòd DEUS Isacides defendere debeat, atq^q
Conservare simul nostris præ viribus illos?
Sed bene: cum letho cuncti perimuntur, ut unus,
Experière, aliud quòd non sit Numen ubiq^q,
Quàm Magnus, què nos meritò veneramur o vā.
Et tunc Assyriūm crudeliter ense peremptus (tes
Occumbas, hæc Gens tecum tollatur \mathcal{E} unà.
Alterum in alterius mactatos sanguine cernam:
Vos ad bella Viri, turmas conscribite plures. Si

Si verò sentis, quòd divinatio vera
Sit tua, non artus, mentem non occupet horror:
Isacidum interitus tuus & namq; unus & idem
Existat, vos una simul fortuna fatiget.

Namq; adeas illos, pendas ut sanguine pœnas
Unà cum turbà mihi non parere volente.

[Ingenium Mundi verbis depingitur istis, (de
Qui modo, quod presens est, contemplatur, & in-
Judicat, auxilium non pensans Numinis almi.

At tu, quisquis eris, noli presentibus uti
Sic ad perniciem; Deus est qui cuncta gubernat,
Et dicendo juvat, licet absint omnia Mundi
Consilia, & plenà quicquid servetur in arcà.
Externum curat medium nil; quando vel unum
Emittit verbum, fit, quod decrevit: at omnes
Exosos reddit, bona qui modo terrea spectant.
Ergo fide Deo: bonus est; nec deseret unquam
Teq; Tuosq;, licet non sit tibi magna supellex
Ditior est cunctis, est fortior hostibus, implet
Promissum, roseo mercatos sanguine nutrit,
Et facit, ut semen justisatiatur in ævum.]

His dictis, subito dabat in mandata cruentus
Holfernes, vinctis pedibus caperetur ut ipse

Achior

Achior & manibus, spretis Solymisq; daretur;
Quod faciunt se vi lictores fune volenter.

Et postquam montana adeunt, en agmine denso
Stans jaculator eos telis invadit & ense.

Exemplò cecidère animis, fidère pediç,
Consilium periit, quercu nexère virente

Vatem, caperuntq; fugam, sine voce, probrosam,
Crudelis nec non petierunt castra Tyranni.

(Scilicet in terris fidei dant præmia veræ

Talia mortales, fastigia summa tenentes,
Ac illudentes quicquid sacra pagina tradit.

Præmia sed te non moveant; in fine triumphat

Vera fides; veræ fidei sis tutor & altor; (tur.)

Vera Satan tolerare nequit, quæ membra sequun-

Ifacidum verò populus miseratus acerbum

Fatidici casum, suspensum solvit, & inquit:

Non frustrare aures, ambagibus utere nullis,

Dic nobis quæ causa fuit, cur mittere letho

Te voluère tui comites, Gens invidiosa nobis.

Dixerat: arrectis a stabat & auribus omnis:

Fata mea sortis dicam, mox Achior inquit,

Exponendo brevi, brevibus modo credite verbis.

Quæsitus regno de vestro; bella moventi

C

Nos

Vos contra Regi respondi talibus: Illa
Gens electa Deo est, Gens credit, fidit & illi,
Et defensor adest Deus, omnia fata gubernat,
Obvia quæ veniunt Genti, conservat eandem,
Præsertim quando non est oblita statuti
Divini; tantum perversam punit & odit.
Si mala, vincemus: si contra, perdimus omne,
Et sic non illi poteris nocumenta creare.
Hæc est causa meæ, patior quam, sortis iniquæ:
Hæc est, quam dixi, mihi vos modo credite, culpa.

Talibus orabant perceptis poplite flexo
Unanimes largo fletu simul ora rigabant
Dicentes: (decet ut durum mollescere votis)
Iuppiter omnipotens precibus si flecteris ullis,
Exaudi gemitus servorum, gratia vincat,
Non nostræ offense, quæ nil nisi tale merentur.
Hæc nox vota ferat, da votis pondus inesse,
Aspice nos hoc casu, & si pietate meremur,
Da deinde auxilium Pater, atq; hæc omnia pelle.

Vertitur interea Cælum, mortalibus almam
Effert & lucem, referens opera atq; laborum.
En Solymam Holfernes clypeato milite cingit
Urbem, perversiq; ardet Mavortis amore.

Lustrat

Lustrat equo muros, aditumq; per avia querit,
Vastat agros, vastat sata leta, boumq; labores,
Certatim crebris collucent ignibus agri,
Clarescunt sonitus, armorumq; ingruit horror,
Cōsulit atq; omnis generis stratagemata, inausum
Nil linoquit; fontes fido custode reservat.

Fama volat magnam hęc subito vulgata per
Mœnia jam diros equites Holofernīs adire. (urbē
Undiq; conveniunt tristes juvenesq; senesq;
Ac hostis rabiem perpendunt, arma videntq;
Stant pavida in muris matres, oculisq; sequuntur
Passim per campos, fulgentes ære catervas,
Vota metu duplicant, dulces & ad ubera natos
Aptant, & tremulis ululantibus æthera complēt.
Quid manus illa virūm? serui quid praelia Martis?
Iuppiter omnipotens præsens depelle periculum,
Et nos in nimiā non dele funditus irā.

Hostis atrox armis agit nos, duriter Hostis
Insequitur populum, populus tibi vota precesq;
Fundit, tu fufis da pondus inesse, precamur.

Posthęc Primores concurrunt vulgus et urbis,
Consiliumq; ineunt, quæ sint faciendā, precantur
Et simul ut dedant Urbem: pax aurea suadet.

Cedant arma toga : Mars implacabile monstrum,
Dira lues hominum, lethiq; Erebiq; minister.

Juditha post quã fama hæc pervenit ad aures,
Cui dabat hospitium Bethulia, mania vellent
Dedere quod Gentis Solymæe, surgit in iras,
Demissos animos ac forti pectore taxat,

Quod non perstarent, ex totã mente J E H O V A E

Fidere, qui toties fidentes juverat ante,

Idcirco trepidos solari mandat, & inquit:

Quamvis nos vexent duri discrimina belli;

Quamvis invadant nos acriter Orcus & Orbis;

Non despondete ^{hic} animos, juvat usq; morari.

Sit vobis cura Constantia suadeo; namq;

Ille Deus, Deus ille suos, quos diligit, usq;

Eripiet, patrio propellet amore periculum,

In fensos nobis sine causã sternet & hostes.

Hæc nocte exhibo cum servã; fundite vota

Vos hinc interea pro me, vestraq; salute.

Hæc ubi dicta dedit, pietas illi arma ministrat,

Vota dat, & geminat duplices ad sidera palmas,

Invocat æternum belli, cladisq; parentem

Immisit, verbis, votis & talibus infit:

Conditor ô rerum sapiens, cui vita frequenter

Impia

Impia displicuit, qui detestaris & aufers.
Qui tua contemnunt sanctissima jura, negantq;
Esse Deum verum Te, Te solumq; vocari.
Da veniam lapsis, nostri reminiscere, puni
Qui meruere magis, qui nos invadere tentant,
Expirantq; minas, miscendo scommota, telis
Utuntur contra nos, & non ensibus unquam
Parcunt, & terras armato milite complent.
Tu, Tu namq; potes, praesens depelle periculum,
Erue praesenti tu nos Pater optime morte,
Auxilii veteris da signa potentia, quondam
Sensere afflicti veluti tua facta stupenda
Majores; ceterum ne desere IHOVA misellum.
Da vires animo, da fortia corda, secundos
Daq; meis velis ventos, audentior ire
Quo contra possim, se vis tollatur ut hostis.

Hec ubi vota tulit, servam devota vocabat,
Depositâ subito lugubria veste notante,
Et caput ungebat, crines nodantur in aurum,
Induit &, vestis pictae dives & auri,
Vestes ex templo praestanti corpore Judith,
Restitit Osias abeuntem cernit, & ejus
Miratur formam, pulcerrima lumina lustrat,

Os humerosq; Deo similes perpendite & inquit:
Pulchra erat, & cuncti splendebant corporis artq;
Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo
Argentum, Pariusve lapis circumdatur auro.

Tendit iter pedib; cum serua tendit ad Hostis
Castra resistentis, supplex & regis adire
Personam exoptat, coram quoq; farier illo.

At cum visa fuit, vigilum venit agmen & inquit:
Dicite continuo; qui iam vos impulit angor
Ad nos huc tentare vias? quo tenditis amba?
Dicite: & unde domo, pacē ne huc fertis an arma?

Dixerat: at contra Judith sic ora resoluit:
Hebræa de gente mihi descendit origo,
Nec mihi bellandi mens est, seu dura movere
Prælia, nam mulier sum seui nescia belli.

Idcirco veni paucis quò fœdera inirem,
Cum vestro Domino: miseros concordia nutrit.

Holfernes postquam famam perceperat istã,
Mandat eam adduci; verbis affatur amicis
Præsentem dicens; quis te succedere nostris
Huc castris iussit? quæ te causa impulit atq;?
Sis animo forti, tibi non contrarius adsum;
Dic modo, quæ poscis, capiam tua verba libenter.

Ex-

Exponā brevibus, summā mihi summe colende
Dux pietate, tibi; presentibus auribus asta:
Si facies, quaecunq; tibi, tua servare ferre,
Non dubitat, positis armis & milite vinctes
Isacides: etenim DEUS est infensus iisdem,
Ac illos urit sitis, & dura urget egestas.

Amplius haud superest aliquid, maētare caballos
Iacipiunt, nec sunt animalia cetera tuta.

Lege cibos vetitos, holocaustaq; mandere tentant,
Ordo servatur nullus; mens improba regnat.

Propterea graviter penas jam sanguine pendent,
Et tu victor eris, magno illos agmine sternens.

Tu letare modo, quia non indebita poscis.

Talibus auditis Holofernes cornua sumit,
(Quod notat & proprium nomen) nec displicet illi
Sermo Judithae, dictis sed paret; & ultrò
Monstrat ei vestes, galeas, ensesq; decoros,
Et dignum visu fortassis quicquid habebat.

Apparat interea lautā convivium mensa
Holofernes, turmae Primatibus atq; vocari
Juditham mandat: Proceres mandata facessunt.

Comparet Judith, renavit convivium mensa,
Namq; erat Hebraea de gente & Matre creata:

Idcirco

Idcirco voluit non vesci carne ; nec ulla
Fercula gustavit : sed serua quod attulit illi
Sumit, & in DOMINO, Duce cum, pia gaudiacarpit.
Letitiam aspiciens Dux vinum largius haurit,
Persuadetq; sibi totam consumere noctem,
Judithaq; pie non oscula figere pauca.
Nam scelus esse putat, si non vitia ret eandem.
(Sic solet impietas erumpere, quando potestas
Est comes ; hinc leges, hinc non curatur honestum.
Namq; viros nunquam tangit pietasq; fidesq;
Numine contempto, qui classica signa sequuntur.
Quisquis es ergo cave summū contemnere JHOVAM
Crimina criminibus cumulantur, crimina vita,
Et fuge ceu pestem, sequitur blasphemia, trudit
Quae tandē in barathrum, domus irrequieta Dra-
Structa ubi terrores perversis incutit egros. (conis
Insuper atq; manet Veneris damnosa voluptas,
Insanire facit sanos & copia vini)
Verūm res aliter cecidit, mortalia sicut
Esse solent incerta: Deus nam destruit illa,
Quae nos extruimus, Genio suadente sinistro.
Nam postquam fuerat vino somnoq; sepultus,
Mox Juditha preces dat nec non vota, verendum
Numen



Numen ut aspires captis, feliciter atq;
Res cadat, Isacides sevo ut redimantur ab Hoste.
Hæc memorat, vocēq; premit, simul ense tyrannū
Holfernem aggreditur, qui forte tapetibus altis
Exstructus toto proflabat pectore somnum.
Tum caput ense secat, putridū truncūq; relinquit
Sanguine singultantem atro, tepesacta cruore
Terra torusq; madet; secū caput hostis & aufert
Hac re perfectā, pro consuetudine tendit,
Ad loca quæ fuerant votis precibusq; dicata,
Sub specie per castra Ducis festinat ad urbem.
Nam supra Holfernes ipsi concesserat horam,
Funderet ad Dominū, quā vota precesq; benignè
Ut monstraret ei, quā punirentur ab illo
Isacides; quod non tribuissent præmia Magno,
Ac agnovissent illum Regemq; Deumq;.

Interea portæ reſerantur; monstrat iniqui
En Hostis Juditha caput, quam plausibus omnes
Excipiunt, plaudunt manibus quod Martia tandē
Bella essent sopita, simul ludibria salsa
In Jhovam, in populum non audirentur ab Hoste
Amplius, in terris pax atq; resurgeret alma,
Debita religio tractari posset & ipsa.

D

Post-

Posthac Achio rem mandat Juditha vocari,
Ac ait; est caput hoc hostis; Dux fœmina facti:
Juppiter omnipotens suggestit robora, vires
Ac animi, tandem fortuna secundaq; juvit.
Holfernes jaceat feliciter ense peremptus.

Achior horrescit cernens caput hostis acerbi,
Præ facto ter & ad terram collabitur udam
Colligit at postquam vires, animiq; vigorem,
Procidit ad genua & Juditha talia dicit:
Flos matronarum dulcis, tua fama peribit
Nunquam, majores vires, acquirere eundo.
Namq; Dei factum toto celebrabitur orbe
Per te perfectum; tua laus florebit in ævum.

Convocat his dictis populum Juditha, refertq;
Vos fratres revocate animos, mœstumq; timorẽ
Mittite, forsã & hæc olim meminisse juvabit.
Per tales casus, per tot discrimina rerum
Migrandum in cœlum est, sedes ubi JHOVA
(quietas

Ostendet: fas illic gaudia surgere nostra.
Aspera nunc positis mitescent tempora bellis;
Festinate viri, murisq; affixa superbi
Ora Ducis tristi dependite pallida tabo.

Fe-

Festinate viri inquam, concurrite ad arma,
Insani Martis mentesq; accendite amore,
Cœlestum vis magna jubet, victoria suadet.
Pervenietis enim postquam tentoria ad Hostis,
Holfernem accedent Proceres, & tale referre
Illi nitentur: cernent at quando cadaver,
Diffugient versi trepidâ formidine, fortes
Antea qui sese jactabant, sesquipedalia nec non
Verba dabant, dicent vos ô quibus integer ævi
Est sanguis, solidaq; suo stant robore vires,
Vos agitate fugam, fugite ô fugite ocyus omnes.

His monitis parent, concurrunt undique
raptis

Telis, ignescunt ira, dant cornua signum,
Invadunt hostes galeis, mucrone, dolone,
Qui fugit extemplo gladios oblitus & arma.
Insequitur clamore viros Gens dedita JHOVÆ,
Expectate, fero monstrate, & pectora bello,
Quò ruitis? quæ causa fugæ? discordia surgit
Quæve repens? non est id Martis bellicæ & artis.
Si non expectare libet, meritò victoria nobis
Cedit; & idcirco dederit cum talia Numen,
Convectare juvat, prædas, & vivere rapto.

D 2

Sic

(Sic Deus exaudit gemitus & vota suorum
Ac hostes delet: Vincit DEUS omnia dura.)

Postquam spectaret vates pius Achior illud,
Quod Deus Israel iuvisset, & agmen atrocis
Hostis abegisset; cultus Baalis aperte
Mox detestatus, coluit pietate JEHOVAM
Assiduâ, ipsius dum rexit Spiritus artus.

(Sic DEUS ex omni sibi colligit ordine cæcum,
Et trahit ad regnū, quos mundus damnat & odit)
Isacides verò letum pæana canebant,
Atq; triumphantes tanto pro munere grates
Soluebant meritas Jhovæ qui regnat in ævum.

AT tu Christe Deus, quiscis, quæcunq; geruntur,
Aspice nos, hostes extirpa funditus omnes.
Ceu animosa fuit Juditha; Ecclesia talem
Fac habeat mentē, et precibus fuget omne superbū,
Quod putat esse tuum viduatum Lumine regnū.
Da purget sese peccati crimine; mendas
Et rugas fugiat; da sit contenta marito
Te uno; da Flatus nos tecum glutinet usq;
Fac Antichristum vitet, quicumq; beatus
Esse cupit, Cœli pars & quotacunq; vocari.

Holfer-

Holfernis fratres passim regnare studentes
Tu dele, Tu namq̄ potes; sine viribus ira
Nostra etenim vana est: conatus verte Papales.

Reges atq̄ Duces duc in pietate, procaces
Ac illis oculos aperi, quò cernere possint
Verum; Pandora juris nil detur & equi.

Fac verbi sumus studiosi, protege cœtum,
Qui tibi confidit, qui tradita temnit & aufert,
Que sanxere Patres sine jussu: prospera fata
Hoc anno largire tuis, defende Sareptam,
Ut te perpetuò celebret, tibi vota precesq̄
Fundat, & expectet reditum, quo Christus Jesus
Ut Judex, fratres Holfernis diruet omnes,
Ad Generũ & Cereris mittet, Pelagoq̄ malorũ
Submerget fontes, strepitus stridorq̄ vigebit
Fugis ubi, pœnas luent pro crimine justas.

Interea da Christe tuus inter patiẽtia regnet,
Et convertendos converte, palatia cœli
Da nobis, tuus ut Grex tandem in pace quiescat.
Sic te collaudet labium, sic lingua tuumq̄
Nomen concelebret: hæc laus perduret in ævum.

FINIS.

*Reverendo, doctrinâ, pietate & omni virtutum genere
præstanti viro, Dno.*

FRIDERICO JANO,

Pastori Ecclesiæ Oscherslebiensium vigilan-
tissimo, sacram JUDITHÆ Historiam à se
ωε. Ὀπάδewσ conversam publi-
canti.

JUDITHÆ historiae scriptor Doctissime sacrae,
Cujus perpetuo tempore fama viget:
Docta quid excludis pulsantem limina famam,
Quid piget è studijs præmia ferre tuis?

Post Te victurum sine tecum vivere Nomen,

Nil cineres animo gloria parta juvat.

JUDITHÆ Historiam ede, precor, Doctissime JANE

Ingenio cultum divite profer opus.

Sic Te Musa potens claris modò Vatibus æquat,

Teq; facit celsum tollere ad astra caput.


Damnabit nullo doctorum crimine turba.


Quod vehit æternis Calliopœa modis.

Perlegi Historiam: Vis dicam quid videatur?

Compeaibus miris BELLA DUELLA ligas.

M. Johan Philip Vollock, Pa-
stor Ecclesiæ Ratmansdorffiensis, &
Poëta Nobilis Coronatus.





37 6
37 44
7


AB: 37 $\frac{6}{1,4}$

ULB Halle 3
006 567 568


VD 17








Farbkarte #13

B.I.G.

HISTORIA
JUDITHÆ,
HEROINÆ NUN-
QUAM SATIS LAU-
datæ, Heroico carminis genere,
quàm brevissimè, reddita
à
FRIDERICO JANO
Arælavienti Hermunduro, Ec-
clesiæ Oschmerslebenensis
Pastore.
ANNO
reparate salutis:
Hostis faCIat MIHI qVID ferre
CVrator est DeVs MeVs.

MAGDÆBURGI, 1645
Typis Andreæ Bezelij, ANNO M. DC. XV.

